

suas, respexisse; & alios longe intelligere, quam eos, quorum Tacitus meminit. Quod sequentes rationes confirmare posse putamus. I. Quia lib. IV. cit. comment. cap. IV. memoriæ prodidit: *Suevos, utut non valuerint Ubios finibus suis expellere, tamen eos sibi fecisse vegetales.* Unde facile concludere est, Ubiis fuisse conterminos. II. Quia iisdem Ubiis imperat, *ut pecora deducerent, & quidquid com meatuum haberent, in oppida conferrent, ut ita imperitos homines (ita Suevos appellat) inopia Cibariorum adductos ad iniquam pugnandi conditionem deducere posset:* lib. VI. Quod iterum argumentum est, non procul ab Ubiis fuisse dissitos. III. Præterea Ubiis mandatum imponit de explorandis Suevorum rebus; quod & illi *paucis diebus intermissis* fecisse leguntur. Atque hoc tam brevi temporis intercapidine efficere non potuissent, si Cæsar Suevos propter Albim Danubiumque intellexisset. IV. Silva quoque *Bacenis, quæ l. c. Suevos inter & Cheruscas pro nativo muro objecta legitur evincit, q. e. d. nam illa Hercynia est.* Cherusci autem nunc sunt Lüneburgenses atque Brunsvicenses. V. Neque parvum robur huic sententiæ ex eo accedit, quod Cæsar, C. pagos eos habuisse, loco, quem in præsentibus commentandis sumimus, adfirmet. Jam vero illud de Taciti Suevis trans Salam Albimque interpretari, absonum foret; quum ampliores illorum fuerint termini, quam ut centum tantum pagos continuissent. Adde VI. quod clarissimis verbis Comment. IV. c. I. auctor noster adserit: *una ex parte a Suevis circiter millia passuum Itc vagare. ad alteram partem succedere Ubios.*

VI.

His ita rationibus probe subductis conligere pronum